

& hoc modo tam differentia, quam proprium, immediate de indiuiduis prædicantur: quia nihil mediat, quod talem habeat modum prædicandi, scilicet, in quale quid. Alio modo aliquid prædicatur immediate inmediate causæ, vel subiecti: & hoc modo non prædicatur differentia immediate de indiuiduis: nam mediat species: ut probat argumentum. Exemplum huius patet in Auo, & nepote: Auuus enim immediate respicit nepotem: quamuis in ratione causæ, & Physice, mediet filius.

QVÆST. VI.

An differentia prædicetur in quale?

Risibile enim est mortale de homine prædicatum in eo quod quale est homo dicitur; sed non in eo quod quid est. Cap. eod.



VAERITUR de vltima particula secundæ definitionis differentia: scilicet, an differentia prædicetur in quale? quod non videtur: quia quid dicitur à quidditate: Differentia prædicatur quidditatem eius, cuius est: aliter non poneretur in definitione eius: igitur prædicatur in quid.

Item, si prædicatur in quale: igitur est qualitas: consequens est falsum: quia accidens est posterius substantia: differentia est prior specie.

Item, si prædicatur in quale: prædicatur denominatiue: consequens est falsum: quia quod prædicatur denominatiue, prædicat aliam essentiam à subiecto.

Item, prædicatio denominatiua distinguitur contra prædicationem vniuocam; per Aristot. in Prædicamentis: differentia autem prædicatur vniuoce: sicut species, & genera; per Arist. in prædicamentis cap. de substantia in secundâ proprietate: ergo non denominatiue.

Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum: quod differentia prædicatur

in quale: quod offendit Author dupliciter. Primo quia ad quæstionem factam per quale, conuenienter respondetur per differentiam. Secundo, quia sicut est in composito reali; ita proportionabiliter est in composito rationis: in composito autem reali est aliquid habens rationem materiæ, & aliquid rationem formæ: igitur in composito rationis erunt aliqua illis proportionabilia: nam omnia, ex quibus fit vnum per se, alterum est, ut potentia, alterum, ut actus; per Arist. 8. Metaph. differentia autem non habet modum materiæ: quia non est indeterminata, nec in potentia; quæ propria sunt materiæ: ergo habet modum formæ: forma vero, & qualitas, & actus idem sunt: ergo habet modum qualis respectu speciei: & hoc est prædicari in quale.

Intelligendum tamen: quod sicut est actus duplex: primus, qui facit ens simpliciter in actu: & secundus, qui præsupponit ens in actu, & tunc facit ens in actu talis: sic est forma duplex, & qualitas duplex: & ita à qualitate duplici duplex est modus, qualis, differentia sumitur à primo actu, scilicet, à forma specifica, quæ est qualitas essentialis: & ideo prædicatur in quale essentiali, non accidentali: sicut alia duo vni uersalia sequentia.

Ad primum argumentum dicitur: quod ad prædicari in quid non sufficit, quod prædicet quid; sed quod prædicet quid, per modum quid: differentia autem prædicat essentiam per modum informantis, non per modum subsistentis.

Ad secundum dico: quod est qualitas, secundum quod dicitur 5. Metaph. sed non ut qualitas est vnum generalissimum; sed æquiuoce, ut forma, qualitas, & actus, sunt eadem transcendentia.

Ad tertium dico: quod consequentia non valet: quia oportet addere in antecedente; quod prædicat aliam naturam: & illud est falsum; & sine illo non sequitur consequens. Vel aliter; quod accepto quali accidentali in antecedente, valet consequentia: sed sic non ponitur antecedens verum: nam denominatiuum differt à principali solo casu; id est cadentia ad subiectum: & illud tantum conuenit his, quæ prædicantur in quale accidentale: quia quod prædicatur

Tex. com. 6. 9. & 15.

Tex. Com. 10.

tur in quale essentiali, non habet ipsum pro subiecto; ut accidens dicitur esse in subiecto.

Contra responsionem ad primum argumentum: si prædicet quid, & non per modum quid: igitur illud, quod prædicat, & modus, sub quo prædicat, sunt opposita.

Dico: quod opposita debent fieri circa idem: ideo quid, ut res, & quale, ut modus, non opponuntur: sed res rei, & modus modo: ut plurale significatum, & singulare, ut modus, non opponuntur: sunt enim simul in hac dictione, plurale, &c.

Summa textus simul & explicatio.

Questio hæc ex dictis in diuersis locis; maxime quæst. 7. de genere manet explicata: in qua Doctor maioris expressionis gratia, inquirat, an prædicari in quale conueniat differentia: partem negatiuam probat triplici principali argumento: nam quartum solum est probatio falsitatis consequentis tertij argumenti; quod cum reliquis clarissime est formatum: & omnia sunt clarissima: quibus non obstantibus ait. Quod differentia prædicatur in quale essentiali: hanc probat auctoritate Porphyrii, super quam præsentem quæstionem disputat; & præterea duabus rationibus ab ipso Porphyrio factis, quæ etiam clare sunt. Tandem soluit argumenta, & pro illorum solutione aduertit, qualitatem esse quid æquiuocum ad formam specificam, & ad generalissimum qualitatis: quare in præsentibus sumitur primo modo: & ita argumenta non concludunt: & quia cuncta patent in littera; pro hac quæstione dicta sufficiant.

Conclus.

QVÆST. VI.

An mortale sit differentia animalis rationalis diuisiua, & hominis constitutiua?

Assignant & hoc modo: Differentia est, qua differunt à se singula. Nam que secundum genus non differunt. Sumus enim animalia nos, & irrationalia: sed aditum rationale des-

iunxit nos ab illis, rationales sumus nos, & dij: sed mortale oppositum nobis distinxit nos ab illis. Cap. eod.



IRCA quartâ definitionem differentia quæritur, an mortale sit differentia animalis rationalis diuisiua, & hominis constitutiua? quod sic videtur per Porphyrium hic, & in capitulo de specie.

Item: rationale non est vltima hominis differentia: ergo præter illam oportet addere aliam: illa autem non est nisi mortale. Probatio antecedentis: vltima differentia conuertitur cum definito: sed rationale non conuertitur cum homine: quia inest Intelligentiis: ut hic dicit Porphyrius, & Aristote Cap. 3. les primo ethicorum.

Dicitur: quod æquiuoce inest illis, & nobis. Contra: per Arist. 2. de anima: potentia distinguuntur per actus: & actus per obiecta: obiecta autem actus intelligenti eorum, & nostri, idem est, scilicet, quod quid est rei materialis: saltem idem genere: ergo potentia naturalis vniuoca. Item, si rationale sit vltima hominis differentia: ergo irrationale erit differentia vltima constitutiua alterius speciei tantum: quia differentia diuisiua addita generi similiter species constituntur.

Ad oppositum: animal rationale non prædicatur in quid de differentibus specie: ergo non est genus: antecedens patet: quia Intelligentia, cum non sint substantia animata sensibiles, non erunt animalia; per locum à definitione: & præter nos, illa sunt tantum rationales: ergo animal rationale non habet differentias diuisiuas.

Item, mortale non constituit speciem: probatio: differentia sumitur à forma. Vnde inest speciei, ratione formæ: mortale tantum, ratione materiæ: quia materia est principium, quare potest esse, & non esse, per Arist. 7. Metaph. & hoc intelligitur tantum de materijs indiuidualibus, quæ non pertinent ad speciei

Cap. 3.

Tex. com. 33. & 37.

Tex. com. 22.

ciei essentiam.

In proba-  
tio.

Item, differentia primo inest speciei, postea vero individuis: quia per formam speciei, mortale vero è conuerso: quia per Arist. 1. Metaph. actus, & generationes omnes, per se sunt circa singularia: vt Callias sanatur per se, homo vero per accidens: mortale dicitur aptitudinem ad transmutationem: aptitudo autem ad aliquid est eius per se, cuius est terminus aptitudinis.

Item, differentia est prior specie, vel simul: sed mortale posterius homine, secundum naturam; quia prius natura est homo, quam sit aptus ad dissolutionem.

Item, vltima differentia conuertitur cum diffinitio: mortale non conuertitur cum homine.

Item: differentia conducit ad esse, & est pars rei per Porphyrium: mortale non conducit ad esse hominis.

Ad questionem dicendum, propter istas rationes: quod animal rationale non est genus: nec mortale differentia diuisiua eius, vel constitutiua hominis.

Ad Porphyrium dicitur: quod loquitur secundum opinionem Platonis, qui dicit intelligentias animalia esse rationalia. Diffinit enim animal: quod est substantia se mouens motu voluntario: & hæc ratio competit intelligentijs.

Contra hoc: Porphyrius non loquitur hic de animali secundum hanc diffinitionem: sed secundum hanc: substantia animata sensibilis: quia ponendo coordinationem eorum, quæ sunt in genere substantiæ; diuidit corpus animatum in insensibile & sensibile: & sub corpore animato collocat animal, per hoc innuens; genus descendere in hanc speciem per alteram differentiarum diuisuarum: sic autem collocat Aristot. animal: & similiter diffinit, per illud genus, & illas differentias: ergo loquitur secundum opinionem Aristotelis.

Potest igitur concedi: quod non loquitur de animali secundum opinionem Platonis: quia secundum illam rationem non loquitur, quam ponit Plato de animali: sed loquitur secundum opinionem vulgi: nihil enim communiter concipitur, nisi per aliquam speciem imaginariam: & ideo communiter ima-

ginatio circa insensibilia decipit: ideo dicitur tertio Physicorum: quod fatuū est credere imaginationi: & ideo vulgus sequens imaginationem concipit de intelligentijs quasi idem, quod de substantijs corporeis: & ita essent ponenda animalia rationalia secundum veram rationem animalis: sic autem loquitur Porphyrius: quia loquitur minus prouectis, qui non intelligunt multum remota à sensu.

Ad rationem dico: quod rationale est æquiucum nobis, & intelligentijs: ipsæ enim intelligunt per species innatas, non acquisitas: ideo non egent sensibus ad scientias: nos vero indigemus, per Arist. 1. Post. quia omnis nostra cognitio ortum habet à sensu.

Præterea, ipsæ intelligunt complexa, sine discursu: nos vero cum discursu: vt dicitur tertio de anima: omne nostrum intelligere est cum continuo tempore.

Contra: quia tunc eodem modo irrationale erit æquiucum: quia quot modis dicitur vnum oppositorum; tot & reliquum; per Arist. 1. Topicorum: ergo hæc est vera vno modo: Intelligentia est irrationalis: quod videtur inconueniens.

Item, æquiuoca sunt, quorum solū nomen commune est: ergo si rationale sit æquiucum illis, & nobis: sequitur, quod tantum sit commune secundum nomen: sed nos sumus intelligentes secundum rem: ergo ipsæ tantum secundum nomen.

Ad primum istorum dici potest: quod non est inconueniens hanc multipliciter concedere secundum æquiocationem: Intelligentia est irrationalis: & vera est in vno sensu.

Vel aliter: quod est simpliciter vera: quia irrationale tantum opponitur rationali, vt est differentia animalis, non autem vt est differentia, constituens speciem substantiæ incorporeæ; sicut conuenit intelligentijs: & tunc hæc: homo est rationalis: est omnino falsa: & hæc: Bos est irrationalis: omnino vera.

Contra: priuatum nihil proprie dicitur: nisi hoc, quod est aptum naturam habere habitum: Bos non est aptus esse rationalis: ergo non est irrationalis.

Potest dici: quod in compositione, irrationalis debet accipi negative, non pri-

Tex. com.  
75.

In princi-  
pio.

Tex. com.  
14. & ali-  
bi.

Cap. 12.

priuatiue.

Contra: tunc non est differentia animalis diuisiua: quia excedit animal: nec prædicatur de ea per se differentia superior, scilicet, sensibile: quia non est de intellectu eius, si tantum importat negationem rationalis.

Dici potest ad vtrumque: quod hic est tantum negatio in genere non extra genus, vt est differentia animalis.

Vel potest concedi propter secundum istorum: quod non est differentia proprie loquendo: quia differentia quæ liber accipitur à forma: & ideo diuersarum specierum diuersæ sunt differentia proprie.

Aliiter potest dici ad primam obiectionem: quod priuatiue oppositum actui, vel alicui significanti actum, priuatiue actum, & relinquitur aptitudinē: sed priuatiue oppositum alicui significanti aptitudinē, priuatiue actum, & aptitudinē, & si quid relinquit: hoc est tantum secundum genus: rationale autem tantum significat aptitudinē, & irrationale hoc priuatiue: est tamen irrationale aptum habere rationem secundum genus: quia in quantum animal sibi non repugnat: licet nec alpa videre.

Ad aliud de ratione æquiucorum dico: quod æquiucum in vtroque sensu est vniucum significans aliquid, & non tantum vox: tamen nihil est commune significans, nisi tantum vox: sed in hoc sensu accipitur vox cum vno significato in isto; & cum alio significato in alio: sic rationale secundum vocem, & significationem perfectiorem in se inest illis, quam nobis.

Ad illud, quod primo obiectum est, contra illam responsionem, potest dici: quod dictum Aristot. verum est: sed non dicit præcise, potentias distinguere per obiecta: sed possunt distinguere per diuersos modos operandi: aliter non esset sensus communis distincta potentia à sensibus particularibus: quod est contra Arist. 2. de anima: distinguitur enim à sensibus particularibus propter diuersum operandi modum circa idem obiectum: quia quod per se cognoscitur ab aliquo sensu particulari, per se cognoscitur à sensu communi.

Ad aliud principale potest dici: quod non oportet: quod si vna differentia cum genere constituit speciem specialissimam: quod alia similiter: licet

Tex. com.  
145. & cir-  
citer.

vtæque constituat speciem: vnde animal irrationale: si irrationale sit differentia vera: potest esse genus intermedium: & animal rationale diffinitio completa hominis: & hoc maxime est verum, quando est oppositio imperfecti ad perfectum: in quolibet enim genere, vno perfecte existente, sunt multa imperfecta per recessum ab illo, secundum diuersum gradum: vt patet in coloribus: rationale autem est perfectissimum in genere animalis.

### Summa textus.

Circa quartam diffinitionem differentia: videlicet, differentia est, qua differunt à se singula, & conducit ad esse essentiale rei: propter exemplum à Porphyrio allatum ad ipsam explicandam; nempe mortale separat hominem à Dijs, & non rationale: in quo insinuat animal rationale esse genus intermedium diuisum per mortale & immortale: mouet Doctor subtilis præsentem Questionem, quæ tota realis est, Physica, scilicet, Metaphysica, ac Theologica: vt patet: partem igitur affirmatiuam probat autoritate Porphyrij: deinde duabus rationibus.

Prima, ostendit rationale non esse completam differentiam hominis, quia non conuertitur cum illo: nisi addatur ei mortale: ergo non rationale, sed mortale est talis vltima differentia. Assumptum probat: quia rationale etiam conuenit Dijs, & Intelligentijs, ex Arist. 1. ethicorum, c. 13. & alibi. Nec valet dicere: quod conuenit eis æquiue: hoc enim est falsum: vt videtur: nam sicut distinctio obiectorum facit distinctionem potentiarum; ex secundo de anima: sic identitas obiectorum facit identitatem, & vnitatem, potentiarum: sed obiectum nostrum, & Angelicum, est vnum, & idem, saltem idem genere; videlicet, quidditas rei materialis: ergo potentia Angelica, & nostræ vniuectantur.

Secunda ratio vult probare duas tantum esse species infimas animalis: quod est maximum inconueniens: & fundatur super regulam Topicam: quot modis dicitur vnum oppositorum: tot modis dicitur, & reliquum: sed rationale, & irrationale, oppositum: & rationale, per vos, est differentia vltima: ergo & irrationale: ac per consequens irrationale vnam tantum speciem infimam constituet.

His tamen non obstantibus conclusionem veram, omnibusque communem, assignat dicens: quod mortale non est vltima differentia constitutiua hominis: ac per consequens nec diuidit animal rationale, tanquam genus: hanc sex satis efficaciis rationibus persuadet. Prima ostendit animal rationale non esse genus per locum à diffinitione generis ad diffinitum destructiue: & clara est in textu.

Secunda, cum reliquis probat mortale non esse differentiam vltimam: & sic se habet: differentia

1. Argu.

2. Arg.

Conclus.

1. Arg.

Secundum

2. Arg.

rentia talis sumitur à forma, seu à realitate formali: sed mortale non à forma, sed à materia sumitur: ergo non est differentia: probatur minor per Aristot. 7. Metaphys. tex. 22. & primo Physic. & primo de generat. & alibi sæpe dicentem: materiam esse principium, quo res potest esse, & non esse: & loquitur de materia indiuiduata: ut explicat hic Doctor, & in tertia distinctione vigesima secunda.

Tertium.

Tertia, ratio procedit ex differentia conuenientia prædicatorum per se ad prædicata per accidens: cum igitur mortale conueniat cum prædicatis per accidens; quia primo inest indiuiduis: non erit prædicatum per se: quale debet esse differentia: patet assumptum ex prohæmio Metaphysic. quia actio corruptiua est circa singularia: & etiam, quia aptitudo per se est eius, cui conuenit actus per se primo: sed mori per se primo conuenit singulari: ergo, & mortale, quod est aptitudo ad mori.

Quartum.

Quarta, procedit ex prioritate differentie ad speciem, quam constituit: debet enim esse prior: sed mortale non est prius, sed posterius homini: quia prius natura est homo, quam sit aptus mori: ergo non est eius differentia.

Quintum.

Quinta, clara est: nam mortale conuenit alijs ab homine: igitur, &c.

Sextum.

Sexta tandem ratio etiam clara est: nam differentia conducit ad esse essentiale hominis: sed mortale potius ad non esse quàm ad esse hominis conducit: ergo non est eius differentia constitutiuua.

Consequenter respondet ad argumenta: ad Porphyrium: quod licet in contrarium asseredo non fuerit Platonius; ut nonnulli sibi volunt; sed Peripatericus: nihilominus loquutus fuit secundum opinionem vulgi, quæ Angelos, & inuisibilia, ad modum hominum, & visibilia percipit, & depingit: loquebatur enim cum minus prouectis: & ideo tali exemplo usus fuit, sed non quod talis fuerit opinionis.

Ad primū

Ad primam rationem respondet, sicut ibi responsum est, rationale esse æquiuocum ad Angelos, & homines: nam ipsi intelligunt per species vniuersales infusas; nos vero per acquisite mediata sensu: de quo videatur Doct. in primo, distinct. 3. quæst. 6. & vltra; ipsi intelligunt complexa sine discursu, nos vero cum discursu: complexa enim tam illi, quam nos sine discursu intelligimus, licet non sine ordine: & loquitur de Angelorum discursu secundum opinionem aliorum. Nam secundum eius mentem Angeli discurrunt.

Ad primam replicam dicit, primo hanc esse veram in vno sensu æquiuocationis: Intelligentia, seu Angelus est irrationalis: maxime si rationale dicit negationem rationalis: sicut vox acuta potest dici obtusa; non ut obtusitas opponitur acutiei vocis, sed acutiei magnitudinis, seu liquoris: & similem responsionem habet, quæst. 4. ante prædic.

Secundo, respondet sine præfata distinctione dicens, talem propositionem simpliciter esse veram: nam rationale non est multiplex: quia non opponitur rationali secundum suam omnimodam significationem: sed tantum prout est differentia diuisiua animalis, & non, ut est diffe-

rentia substantiæ incorporeæ communis Intelligenti: Ex quo infert: quod hæc est simpliciter falsa: homo est irrationalis; quæ secundum primam responsionem in vno sensu esset veritas: hæc: Angelus est irrationalis: & addit: quod hæc: Bos est irrationalis: est omnino veritas: est sine distinctione concedenda.

Contra obicit: priuatio est negatio in subiecto aptonato; & est negatio in genere, & non extra genus: igitur hæc: Bos est irrationalis: erit falsa: cum irrationale dicat priuationem rationis.

Respondet dupliciter: primo irrationale idem esse, quod non rationale: & ita importare præcisè negationem; & non priuationem.

Contra: quia tunc non esset differentia diuisiua animalis: tunc quia excederet animam; quod non conuenit differentie diuisiue; sed potius diuisum excedit diuidentia, saltè seorsum sumpta: & quod excedat, patet: nam de quolibet ente à rationali dici potest: lapis enim est irrationalis. Tunc etiam cum positum non sit de intellectu negationis: & sensibile sit quid positum, non prædicabitur de irrationali.

Ad primam, dupliciter respondet primo negando irrationale esse negationem extra genus, sed in genere, & ideo optime posse esse differentiam.

Secundo, ad vtrumque simul dicit: irrationale non esse differentiam formaliter, hoc est constituens aliquam determinatam speciem animalis: bene tamen est differentia circumloquutiue.

Deinde dat secundam solutionem ad primam objectionem superius factam, dicens: irrationale posse dicere priuationem priuantem actum, habitum, & potentiam; & non aptitudinem: vel priuationem priuantem tantum aptitudinem: & hoc secundo modo adhuc multipliciter: vel aptitudinem secundum speciem; vel secundum genus infimum, subalternum, & supremum: unde sicut rationale dicit aptitudinem ad ratiocinari secundum speciem: sic irrationale non solum primo modo: sed etiam secundo, dicitur priuatiuum priuans aptitudinem secundum speciem, non tamen secundum genus: quare Bos, ut animal est, aptus est ratiocinari; sicut Talpa, ut est animal; aptus est videre: pro his priuationibus videatur Doct. in 1. distinct. 28. quæst. 2.

Deinde soluit secundam replicam contra primam argumentum, factam: ibi item æquiuoca sunt, &c. dicens: quod licet significatis æquiuoci, in quantum talia, nihil sit commune, nisi sola vox: tamen vox ipsa seorsum accepta pro vno significato dicit rem, & conceptum illius: quare eum cõmunitate huius vocis, rationalis, stat pluralitas significatorum; dummodo vox pro quolibet seorsum accipiatur, pro quo videatur Doctor 1. Elench. egregie de hoc pertractans.

Consequenter his objectionibus, & solutionibus, expeditis, redit ad soluendam primam replicam contra primam argumeti solutionem adhibita: ibi contra: per Arist. 2. de anima: dicit: quod potestie distinguuntur per actus, & obiecta ab extrinseco vel ob diuersitate modi agendi: quare stat identitas obiectorum cum diuersitate modi agendi: pro quo vide Doctorem in primo, distinct. 3. quæst. 3. §. his visis de ente.

Deni-

Ad secundum dicitur quæstio

Denique soluit secundum argumentum principale negans, differentias oppositas esse eiusdem cõmunitatis: ideo vna potest esse infima, & alia subalterna: & ita est in proposito; si irrationale sit proprie differentia.

ARTIC. I.

An omnis differentia propriissima sit alicuius generis diuisiua, & speciei constitutiuua, ac realiter distinctiuua?

Quamuis Doctoris quæstio penes omnia ad Physicum, & Metaphysicum, ac ad Theologum pertinere videatur; nihilominus nonnullas difficultates circa illam, quæ ad Logicum (licet per accidens) spectare videntur, in sequentibus Articulis disputabimus, quibus huic tertio prædicabili finem imponemus: & ideo prima sit iuxta titulum quæstionis: an differentia omnis propriissima sit a parte rei diuisiua generis, constitutiuua, ac distinctiuua, speciei? Partem negatiuam suadere videntur argumenta, quæ sequuntur.

1. Argum.

Differentia priuatiua est alicuius generis diuisiua: ut irrationale animalis: & tamen nullius speciei est constitutiuua: quia non est talis species assignabilis: ergo, &c.

2. Argum.

Secundo distincta differentia est: quæ constituit speciem, & diuidit genus: ut ex Porphyrio constat, qui differentiarum aliam, inquit, esse diuisiuam generis; aliam vero constitutiuam speciei: & patet in sensibili, quod animal constituit, illud tamen non diuidit: ergo non est eadem differentia constitutiuua, & diuisiua.

3. Argum.

Tertio differentia diuidit etiam speciem ab alijs: ergo non est solius generis diuisiua.

1. Not.

Notandum primo, quod sicut genus, & est totum actuale, & potentiale: sic dupliciter diuiditur: vel in partes actuales, siue Physicas, ut animal, in materiam, & animam sensitiuam; siue Metaphysicas, ut animal, in viuens, & sensibile: vel diuiditur in partes subiectiuas, scilicet, in species, per differentias: & de hac diuisione loquimur in præsentibus.

2. Nota.

Secundo notandum: quod differentia potest comparari ad idem genus, vel ad diuersa.

1. Conclus.

Dicendum primo, omnis differentia propriissima ad diuersa genera comparata est generis diuisiua, & speciei constitutiuua, ac distinctiuua.

Prima pars patet: quælibet differentia propriissima determinat genus, & trahit illud ad speciem, quæ ex tali genere, & ex tali differentia, constituitur: sed hoc determinare est diuidere genus: ergo.

Secunda pars etiam constat: tum quia sicut forma Physica constituit totum Physicum; sic & forma Metaphysica, qualis est differentia, constituit totum Metaphysicum, quod est species,

Tum etiam quia diuidere genus est illud trahere ad constituendam speciem. Tandem quia de ratione actus formalis est aliquid constituere: differentia est actus formalis speciei: ergo eam constituit.

Tertia pars est manifesta, nam idem est principium constitutiuum, & distinctiuum: sed differentia constituit speciem: ergo eam ab alijs distinguit.

2. Conclus.

Dicendum secundo, respectu eiusdem generis eadem differentia non est simul diuisiua, & constitutiuua: sed alia est diuisiua; & alia constitutiuua. Hæc patet exemplo animalis, quod per sensibile constituitur, & tamen non per sensibile, sed per rationale diuiditur: & ratio est: quia differentia non dicitur contrahere speciem, quam constituit, sed genus, quod ad speciem trahit: ergo, &c.

1. Corol.

Ex quibus sequitur primo, diuisionem illam differentie in constitutiua, & diuisiuam, intelligendam esse de differentia non ad diuersa genera comparata: nam ut sic, eadem differentia diuidit, & constituit: sed de differentia, prout ad eam genus comparatur: nam ut sic distincta est differentia diuisiua, à constitutiuua.

2. Corol.

Sequitur secundo, discrimen esse inter genus supremum, subalternum, & speciem infimam, respectu prædictæ diuisionis: nam genus supremum habet differentias diuisiuas, sed non constitutiuas; species infima constitutiuas, sed non diuisiuas; genus subalternum, & diuisiuas, & constitutiuas, habet.

3. Conclus.

Dicendum tertio, quamuis eadem differentia, prout ad diuersa genera comparatur, diuidat, constituat, & distinguat; prius tamen fundatur in illa relatio diuidentis, quam constituentis; & prius relatio constituentis, quam distinguentis. Hæc etiam patet: & quoad primam partem ostenditur: nam hæc causalis est vera: ideo differentia constituit speciem: quia contrahit genus: sed contrahere genus est illud diuidere: ergo prius diuidit, quam constituat.

Secunda pars probatur: quia distinctio illa fundatur in entitate absoluta speciei: sed talis entitas non potest esse sine differentia illam constituentente: ergo prius differentia constituit speciem, quam eam distinguat: cum distinctio sit passio entis.

Ad primū

Ad argumenta: ad primū dico: quod cum differentia positiua sequatur negatio perfectionis, quæ tali positiuo opponuntur; nonnunquam talis negatio ponitur loco positiui in diuisionibus: ut diuisio sit bimēbris: ut quando diuiditur substantia per corpoream, & incorpoream; negatio hæc ponitur loco spiritualis differentie positiue: si fuerit vna: vel si fuerint plures, loco cunctarum: ut accidit in præsentibus.

Ad secundum

Ad secundum patet per secundam conclusionem, & per primū Corol. ex ea deductum.

Ad tertium

Ad tertium dico aliam esse diuisionem, quæ differentia diuidit genus, ab ea, quæ diuidit speciem: prima enim est: quædam generis contrahit illi extrinseca, & accidentalis: secunda vero est quædam essentialis distinctio speciei in secundo modo conueniens.